

a choro Antiphona, omnes sedent. Interim Acolythy duo cum candelabris, ac cereis accensis, et Presbyteri parati, accedunt ad Canonicum celebrantem, assistendo, ut supra, factis solitis reverentiis.

14. Expleta Antiphona, omnes surgunt; Canonicus vero celebrans, stans junctis manibus, cantat *Dominus vobiscum, Oremus* et Orationem competentem cum sua conclusione, vel plures, pro qualitate temporum, secundum regulas et Rubricas Breviarii.

15. Qua, seu quibus finitis, duo ex ultimis dictis Presbyteris paratis accedunt ad medium chori, ad altare versi, et ibi voce altiori cantant *Benedicamus Domino*, et redeunt ad celebrantem, qui dicto *Fidelium animæ, etc.*, si Completorium continuetur, salutatis Canonicis ab utraque parte chori, discedit cum prædictis paratis, ordine quo venerat: si vero non sequatur Completorium, expletis a celebrante Orationibus cum suis conclusionibus, ac eodem loci, dicto remissiori voce *Fidelium animæ, etc.*, et secreto *Pater noster*, et in fine mediocri voce *Dominus det nobis suam pacem*, incipit Antiphonam B. Mariæ, stans ibidem, seu genuflectens, stantibus pariter, vel genuflectentibus omnibus, quando, juxta regulas Breviarii, standum, vel genuflectendum est, pro ratione temporis, quam postea submissa voce prosequitur, et in fine dicit voce item submissa Versiculum, Orationem, et *Divinum auxilium, etc.*, deinde discedit, ut supra.

16. Eodem modo et ordine semper, diebus Dominicis et festivis, quæ a populo observantur, a Canonico hebdomadario, tam in Collegiatis, quam in Cathedralibus Ecclesiis, absente Episcopo, Vesperarum Officia celebrantur: ea tamen moderatione adhibita, quod in festis solemnioribus, ut in Natali Domini nostri Jesu Christi, Epiphania, Paschate Resurrectionis, Ascensione, Pentecoste, in Festo Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis beatæ Mariæ Virginis et omnium Sanctorum, Sancti Titularis Ecclesiæ, et Patroni Civitatis, vel Ecclesiæ Dedi-

cationis, sex pluvialia a Presbyteris, seu Clericis totidem, hebdomadario assistentibus, sumantur.

17. In aliis festis immediate subsequentibus diem Nativitatis Domini, Paschæ et Pentecostes; item in festis Circumcisionis Domini, Purificationis, Annuntiationis, et Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, sanctissimæ Trinitatis, et sancti Joannis Baptistæ, quatuor tantum pluvialia sumantur; in Dominicis vero, et aliis festis, duo. In duplicibus autem minoribus, semiduplicibus, simplicibus, et feriis, non oportet celebrantem, seu hebdomadarium esse paratum, nec fieri thurificationes.

CAPUT IV.

Episcopus, si Completorio intersit, et Officium faciat, ubi et quo habitu consistere debeat. Quomodo inchoabit et perficiet Completorium. Quæ dicenda sint a choro, et ab hebdomadario. Altaris thurificatio ad Canticum præmittenda. Organum non adhibendum, nisi solemnius Completorium celebretur. Quæ præstanda sint ab hebdomadario versus Episcopum. Quo ritu Completorium dicendum in Collegiatis Ecclesiis

1. Si Episcopus Completorio interesse et Officium facere voluerit, assistet cum sua cappa in choro in suo loco, seu stallo, panno aliquo, vel tapete cum pulvinaribus ornato.

2. Officium vero ipsius erit circa hæc; videlicet, ut dicente cantore *Jube, Domne, benedicere*, ipse stans, respondeat *Noctem quietam, etc.*, et post lectionem brevem *Adjutorium nostrum, etc.*, deinde *Pater noster, etc.*, tum confessionem et absolutionem, et alia usque ad *Deus, in adjutorium, etc.* inclusive, et incepto Psalmo sedebit.

3. Cætera omnia dicentur per chorum, et hebdomadarium usque ad Orationem, quam ipse Episcopus cantabit, et demum benedictionem dabit, dicens *Benedicat, et custo-*

diat nos omnipotens et misericors Dominus, etc. Nulla autem fiet altaris thurificatio ad Canticum *Nunc dimittis*, etc., nec organum pulsabitur, nisi forte in aliquibus Ecclesiis hujusmodi hora solemnius celebrari aliquando consueverit, quo casu organum adhiberi poterit, juxta normam superiorum traditam.

4. Cum vero Episcopus præsens erit, et Officium non faciet, omnia prædicta per hebdomadariam in suo habitu canonicali fient, observatis tamen debitis reverentiis versus Episcopum; nam ipse hebdomadarius ad Versiculum *Indulgentiam et absolutionem*, etc., in principio, et ad Versiculum *Benedicat, et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus*, etc., in fine, inclinabit se profunde versus Episcopum.

5. In Collegiatis Ecclesiis, vel absente Episcopo, eadem observantur per hebdomadariam.

CAPUT V.

Quo ritu Episcopus ad Matutinum accedat, et illud incipiat. Antiphonæ a quo præintonandæ. Lectiones a Canonicis cantandæ, quomodo, et quo loci. Quæ differentia observanda in benedictionibus dandis. Nona lectio ab Episcopo cantanda, et quomodo. Hymnus Te Deum Episcopo præintonandus, si est celebraturus. Organum Hymno intermiscendum.

1. Quando in Matutinis Episcopo placuerit Officium facere, hora competenti veniet cum sua cappa, associatus a Canonicis more solito: et factis orationibus ante SS. Sacramentum et altare majus, accedat ad chorum in loco suo jam ornato, ut supra, ubi sedebit aliquantulum, cucullo cappæ supra caput reducto, vel etiam cum bireto, prout magis placebit, aptatis in gyrum fimbriis cappæ per aliquem Capellanum, vel cæremoniarum Magistrum. Apud eum nulli erunt Canonici assistentes.

2. Post modicam moram Episcopus surget, surgentibus omnibus, et stans, capite detecto, versus altare, dicet secreto *Pater noster, Ave Maria*, et *Credo* integre: quibus completis, signans sibi cum pollice dexteræ manus labia parvo signo crucis, altiori voce cantando, dicet: *Domine, labia mea*, etc., deinde *Deus in adjutorium*, etc., quod cum dicit, facit sibi signum crucis a fronte ad pectus, prout supra in Vesperis dictum est: et sic permanet stans, donec per chorum decantatum sit Invitatorium, cum Psalmo *Venite, exultemus Domino*, etc., sed cum cantatur *Venite adoremus, et procidamus ante Deum*, ipse et omnes de choro, ac alii ministri genuflectunt. Deinde surgunt et stant, donec finiatur Hymnus, quem ipse Episcopus, decenter aliquo præintonante, competenti voce incipiet, si erit celebraturus, alias non.

3. Incepto primo Psalmo, sedebit, et omnes de choro, ac alii ministri sedebunt Psalmi decantabuntur cantu Gregoriano cum pausa ad puncta et ad flexiones, et clara voce per Canonicos, et alios de choro reverenter; et ad Versiculum *Gloria Patri*, etc., omnes se inclinabunt, prout supra in Vesperis dictum fuit.

4. Antiphonæ per aliquem Mansionarium, vel eum, cui ex consuetudine Ecclesiæ competit, præintonabuntur Canonicis, incipiendo a dignioribus gradatim. Primæ autem sex lectiones a totidem Canonicis junioribus, incipiendo a juniore, prius a Cæremoniaro instructis, competenti voce et tono recitabuntur, apud legile in medio chori collocatum; septimam et octavam cantabunt hi, qui futuri sunt assistentes a lateribus Episcopi in Missa; nona vero et ultima lectio dicetur ab ipsomet Episcopo.

5. Igitur finitis tribus Psalmis primi Nocturni, cum cantatur Versiculus, omnes surgunt, detecto capite, etiam Episcopus, et Cæremonarius ducit juniorem Canonicum, qui est cantaturus primam lectionem, ad legile, paulo ante, cum libro lectionum, præparatum in medio chori nudum, id est sine aliquo panno, vel coopertorio; et ibi facta

reverentia altari, et Episcopo cum profunda inclinatione, respicit aliquantulum in libro lectionem, quam lecturus est, et sic stans expectat, donec Episcopus post cantatum Versiculum, et Responsorium, incæperit alta voce *Pater noster, etc.*, et illud secreto perfecerit usque ad Versiculum *Et ne nos, etc.*, et successive ex libro, sibi allato, vel memoriter cantaverit absolutionem, videlicet *Exaudi Domine, etc.*, cui responso per chorum *Amen*, ipse Canonicus stans apud legile, inclinatur profunde se versus Episcopum, et petit ab eo intelligibili voce benedictionem, dicens *Jube, Domne, benedicere* (et non *Domine*), ad quem sic inclinatum permanentem Episcopus conversus, stans, respondet benedicens, videlicet *Benedictione perpetua, etc.*, non tamen manu signans, et responso per chorum *Amen*, Episcopus sedet cooperto capite, et cappæ fimbriæ in gyrum aptantur, ut supra, et pariter omnes sedent.

6. Canonicus vero tunc, et non prius, incipit et prosequitur suam lectionem altiori voce, distincte et modeste, in tono, prout suo loco, et in *Cap. xxvii. Lib. i.* indicatur. Qua finita, inclinans se profunde versus altare, dicit *Tu autem, Domine, etc.*, et facta solita reverentia Episcopo, qui versus eum facit signum crucis, revertitur ad locum suum, absque osculo manus Episcopi.

7. Idem per omnia facit secundus et tertius Canonicus, ac successive alii in secundo et tertio Nocturno, lectiones cantaturi; idemque per Episcopum et chorum observatur, quoad absolutiones, benedictiones et alia, quæ occurrunt, dum Psalmi et lectiones cantantur, quod in primo Nocturno servatum fuit: hoc tantum excepto, quod ad primam, quartam et septimam benedictiones, Episcopus stat, prout stetit, cantans absolutiones, ad alias vero sedet, sedentibus etiam omnibus, præter lectionem cantaturum.

8. Cum cantatur per Canonicum textus Evangelii pro septima lectione, Episcopus et reliqui omnes stant, donec dicatur per dictum Canonicum: *Et reliqua*, et postea sedent.

Ipse autem Canonicus non debet, recitando textum Evangelii, librum, nec seipsum signare, nec manus junctas tenere, sed super libro, prout in aliis lectionibus. Ad octavam lectionem Episcopus dat benedictionem, sedendo, ut supra.

9. Nonam lectionem cantat ipse Episcopus, stans in sua sede Pontificali cum cappa, detecto capite, conversa facie ad altare, ad quem tunc, et non prius, accedunt duo Diaconi assistentes, et minister de candela, et alius de libro serviens. Episcopus autem, si non aderit in choro major se, stans, ut supra, dicit cantando versus altare *Jube, Domine, benedicere* (et non *Domine*), cui absolute respondetur per chorum *Amen*. Si vero adesset Legatus, aut aliquis Prælatus se major, Episcopus versus ad illum, peteret benedictionem; ille vero stans in loco suo, responderet *Ad societatem civium, etc.*, vel *Per evangelica dicta, etc.*, factis tamen prius mutuis reverentiis inter Episcopum et Legatum, seu alium Superiorem majorem. Et dum Episcopus cantat suam lectionem, omnes pro ejus reverentia stant, detecto capite. Qua finita, Episcopus, profunde caput versus altare inclinans, dicit *Tu autem, Domine, etc.*, et responso per chorum *Deo gratias*, accedit cum debitis reverentiis prædictus præintonator ante Episcopum, et præintonat ei *Te Deum laudamus, etc.*, si est celebraturus. Quo per Episcopum repetito ex libro, vel memoriter, prout magis placuerit, chorus illum prosequitur, cui et organum intermisceri poterit, cum regula superius tradita; dummodo Versiculus *Te ergo quæsumus, etc.*, exprimatur voce clara, alioquin cum suavi harmonia sine organo. Qui Versiculus dum recitatur, Episcopus et omnes genuflectunt in locis suis.

CAPUT VI.

Quo ritu Matutinum in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis, absente Episcopo, sit celebrandum Ordo ad Matutinum accedendi. A quibus inchoandum. Psalmi cum suis Antiphonis quomodo cantandi. Quo pacto absolutio dicenda, lectiones et responsoria cantanda. Nona lectio, a quo dicenda, et quo ritu. Hymnus Te Deum, a quo præintonandus.

1. In Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis, absente Episcopo, hora competenti congregantur in sacristia omnes Canonici, ubi induuntur suo habitu Canonicali. Canonicus quoque, seu alius dignior Presbyter Ecclesiæ, Missam celebraturus, induitur eodem habitu Canonicali, vel alio suæ dignitati convenienti, quo in Ecclesia uti consuevit; qui sic congregati, incipiunt progredi versus chorum.

2. Præcedunt Magistri cæremoniarum; deinde duo clerici cantores; tertio loco Canonicus, seu Presbyter facturus Officium; sequuntur alii Canonici seniores et digniores, deinde juniores et minus digni.

3. Cum pervenerint ante altare, omnes genuflexi aliquantum orent; Canonicus, seu Presbyter facturus Officium, cum suis clericis post ipsum in plano chori, seu ante altare; alii hinc inde in eodem plano ab utraque parte chori.

4. Surgente Canonico, aut Presbytero prædicto cum suis Clericis, omnes pariter surgunt. Qui, facta hinc inde Canonicis reverentia, ascendit chorum in primo stallo, seu sede ex ea parte, ubi ea hebdomada chorus assignatur. Sistit se, et prope ipsum stat unus Magister cæremoniarum. Sub ipso in plano chori erunt duo cantores, qui simul venerunt; alii omnes ad sua loca ascendunt.

5. Interim Canonicus facturus Officium sedet in pulvinari, supra sedem suam posito, habens ante se tapetem super

scabello cum pulvinari, super quo positus sit liber apertus, continens Antiphonas, Hymnum et Orationem, quæ legenda sunt, vel super legili, ut dictum est in Vesperis.

6. Postquam omnes venerint ad loca sua, indicante Cæremoniarario, surgit Canonicus prædictus, ac dicit secreto *Pater noster*, *Ave Maria* et *Credo*. Deinde signans sibi pollice dexteræ manus os, cantat in tono competenti *Domine, labia mea aperies*, et responso a choro *Et os meum annuntiabit laudem tuam*, eadem manu dextera producens sibi crucem a fronte ad pectus, eodem tono dicit: *Deus, in adiutorium meum intende*, cum dicitur Versiculus *Gloria Patri, et Filio, etc.*, tam ipse quam alii omnes profunde se inclinant.

7. Cum dicitur *Sicut erat in principio, etc.*, surgunt, et interim duo illi cantores accedunt ad medium chori, facta prius altari genuflexione, cantant ex libro super legili, ante se posito, Invitatorium, quod a choro resumitur, et Psalmum *Venite exullemus, etc.* Interim omnes stant usque ad primum Versiculum primi Psalmi Nocturni.

8. Cum cantatur *Venite adoremus et procidamus ante Deum*, tam ipsi cantores et celebrans, quam alii omnes genuflectunt, postea surgunt et prosequuntur *Ploremus coram Domino, qui fecit nos, etc.* Repetito Invitatorio, duo illi cantores accedunt ad Canonicum, Officium facientem, et stantes in plano ante ipsum, facta ei profunda reverentia, unus ex illis a dexteris præintonat Canonico prædicto Hymnum: quo per Canonicum intonato, chorus prosequitur ab eadem parte, ubi est Canonicus, Officium faciens; deinde vicissim ex altera parte, donec Hymnus absolvatur. Et in fine cum nominatur Sancta Trinitas, omnes profunde se inclinant.

9. Expleto Hymno, idem cantor, qui intonavit Hymnum, stans ante Canonicum, facta illi profunda reverentia, præintonat ei Antiphonam primi Nocturni, quam ille intonat ex libro ante se posito. Qua intonata, duo illi cantores, facta reverentia, accedunt ad librum Antiphonarum in medio chori existentem; et facta primum in plano genuflexione versus altare, expleta Antiphona, incipiunt Psal-

mos primi Nocturni, cantantes primum versum in tono Antiphonarii assignato. Quo primo versu Psalmi intonato, Canonicus faciens Officium, et cæteri omnes sedent: cantores iterum genu facta reverentia altari, redeunt ad suum locum in plano chori ante Canonicum facientem Officium, et ibi faciebatur ad altare conversis, in scabello parum oblongo, panno viridi cooperto, sedent.

10. Et circa finem cujusque Psalmi surgunt et ambo accedunt ad alteram partem chori: cumque pertranseunt ante altare, in medio genuflectentes, reverentiam faciunt altari: deinde Canonicum in primo stallo, seu sede ab illa parte chori sedentem adeunt, et repetita prima Antiphona, facta ei debita reverentia, alter ex eis, ut supra, illi intonat secundam Antiphonam, et sic vicissim semper faciunt successive singulis Canonicis, Antiphonas præintonantes: et semper, post inchoatum Psalmum, ad suum scabellum redeunt, ubi sedent, dum Psalmus perficitur.

11. Circa finem tertii Psalmi cujusque Nocturni, surgunt, et accedunt ad librum, et ibi factis debitis reverentiis altari et choro, cantant Versiculum, quo incepto, omnes surgunt, et responso a choro, Canonicus faciens Officium intonat *Pater noster*, et reliquum dicit secreto.

12. Interim, dum cantatur Versiculus, Cæremoniaris accedit ad Canonicum juniorem, qui lecturus est lectionem, et facta ei reverentia, ipsum ducit ad legile, ubi lectiones legi solent, quod locari debet in medio chori versus altare; quo cum pervenerit, facit cum Cæremoniaris debitas reverentias altari et Canonicis, primum a parte chori, ubi est Canonicus faciens Officium, deinde ab altera parte; et mox propius accedit ad legile; et cum tempus erit, petit benedictionem, caput profunde versus celebrantem inclinans, cui ille stans benedicit, quod et in aliis benedictionibus servat, hoc est, ut stans, semper detecto capite, benedicat.

13. Lectiones leguntur, festis præsertim diebus, a Canonicis, incipiendo a junioribus ad seniores; et quando

non adsunt tot Canonici, primas legunt alii clerici in choro existentes. Legant autem distincte et devote in tono consuetò in Ecclesia Romana, prout supra *Cap. xxvii. § 1. Lib. 1.* habetur.

14. Si noctu legantur, Cæremoniaris adhibet parvam candelam, et alia fiunt, ut supra in Matutinis Episcopalibus dictum est, præter osculum manus Canonici facientis Officium; sed lector cum dicit *Tu autem, Domine, etc.*, in fine lectionis genuflectit, si non est Canonicus, et factis debitis reverentiis iis, qui in choro existunt, discedit.

15. Circa finem tertii Nocturni Canonicus, faciens Officium, accipit pluviale coloris tempori congruentis, et duo cantores similiter, vel plures, si sit consuetudo, induunt pluvialia: cum cantatur octavum Responsorium, duo Acolythy sumunt candelabra duo, quæ cum candelis accensis deferunt ante Canonicum paratum, et ea tenent, donec legerit totam lectionem, et incoeperit Hymnum *Te Deum laudamus, etc.*, quem Hymnum primus ex dictis cantoribus paratis pluviali, facta illi debita reverentia, præintonat.

16. Cum dicitur *Te ergo quæsumus, etc.*, genuflectit in suo loco, et alii omnes similiter. Hymno expleto, incipit Laudes, in quibus omnia servantur, quæ de Vesperis in Collegiatis solemniter celebrandis, superius in *Cap. III. Lib. II.* habentur. In festis autem non solemnibus, et diebus feriabilibus, pluvialia indui non oportet.



CAPUT VII.

Laudes ab Episcopo celebrandæ quando in Matutino solemniter Officium fecit. Quomodo inchoandæ. Antiphonæ a quibus præintonandæ. Quo ritu altaris thurificatio ad Canticum Benedictus faciendæ. Benedictio post Orationem danda. Ad horas Canonicas Episcopus quomodo assistat.

1. Expleto Hymno *Te Deum laudamus, etc.*, si Episcopus in Matutinis solempne Officium peregerit, congruum erit ut etiam Laudes solemniter celebret: in quibus ea omnia fere servari conveniet, quæ dicta sunt in *Cap. II. hujus Lib. II.* de Vesperis solemniter per Episcopum celebrandis, ipso in crastinum Missam non celebraturo. Nam statim finito Hymno, Episcopus adhuc stans in sua sede Episcopali, capiet pluviale et mitram, et alia paramenta, prout in dictis Vesperis dictum fuit, et cum eo quatuor, aut sex Canonici ex dignioribus capient pariter pluvialia, alii vero Canonici non parantur.

2. Episcopus igitur inchoabit Laudes, absolute cantando *Deus, in adjutorium meum intende*, signando se signo crucis a fronte ad pectus. Antiphonas eodem modo, et iidem præintonabunt Canonici dignioribus, ut in dictis Vesperis: eademque observabuntur in sessione, surrectione et reverentiis, dum Psalmi, et Antiphonæ decantantur quæ ibidem dicta sunt. Sic etiam quoad Capitulum, et Hymnum.

3. Et cum inchoatur Canticum *Benedictus, etc.*, Episcopus, posito prius thure in thuribulum, dum per chorum cantatur Antiphona, surget cum mitra, factoque ibi signo crucis, et assumpto baculo, associatus a prædictis Canonici paratis, thurificabit altare, et deinde thurificabitur ipse apud suam sedem, stans cum mitra, a digniori ex dictis Canonici paratis, vel alio, cui competat, prout ibidem explicatum fuit.

4. Organum quoque ad Hymnum, et Canticum *Benedictus*, et in fine Psalmorum poterit adhiberi, modo superius tradito in *Cap. XXVIII. Lib. I.*

5. Denique dum repetitur Antiphona per chorum, finito Canticum *Benedictus, etc.*, Cæremoniarius cum ceroferariis accedit ante Episcopum, qui cantabit Orationem; et mox dabit benedictionem, et denique omnia alia fient, prout ibi latius narratum fuit.

6. Pariter, absente Episcopo, et in Ecclesiis Collegiatis eadem omnia servabuntur, prout in dictis Vesperis continetur.

7. Ad reliquas Horas Canonicas Episcopus non solet intervenire: si tamen voluerit interesse, assistet in choro cum cappa, et nullum officium faciet, sed omnia fient per Canonicos et hebdomadarios, juxta stylum Ecclesiarum.

8. Excipitur tantummodo hora Tertia, quam si Episcopus est solemniter Missam celebraturus, pariter et ab illo celebrari convenit, prout latius in sequenti Capite declarabitur.

